

R. Leges Ecclesiasticæ vel sunt veræ Ecclesiæ, vel falsæ. Hujus sunt traditiones humanæ, & nihilo habendæ: Illius licet specialiter in verbo nō extent, sub generalibus axiomatibus tamē continentur Rom. 13. v. 1. Hinc non obligant Leges hæ immediatè & directè, hoc enim à Deo est, qui dicitur Legifer noster *Esai 33. v. 22.* Mediatè tamen & indirectè maximè obligant.

13. *An Decalogus & Lex Naturæ differant?*

Resp. Reipsa esse unum, modo differre. Decalogus enim est divinissima explicatio Legis Naturæ, & publica solennisq; promulgatio. Lex Naturæ cordibus inscripta, *Rom. 1.*

IN LOCO.

DE DECALOGO IN SPECIE. PRIMI PRÆCEPTI

Verba hæc sunt:

Non habebis DEOS alienos coram me.

לֹא יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים עַל-פְּנֵי:

Circa hoc occurrunt notanda sequentia. I. Quid sit habere Deos alienos: Est verò (1) Idololatriam crassam exercere: Solem, stellas &c. colere, *Rom. 1. v. 25.* (2) Deum aliter colere, quàm ipse vult, *Esai. 42. v. 8. Exod. 32. v. 4. 5. 6. 1. Reg. 12. v. 28.* (3) In hominibus confidere *Matth. 10. v. 28. & 37.* II. Quæ Virtutes propriè huc spectent? Sunt vero verba DEI agnitio, *Jerem. 9. v. 24.* Timor Dei *Psal. 130. v. 4.* Dilectio Dei *Deut. 10. v. 12.* Patientia *Luc. 21. v. 19.* Spes, Fides, Humilitas, Indefesum studium placendi Deo. III. Quæ vitia huic contraria? Sunt autem Idololatria, Epicureismus, Superstitio, Hypocrysis, Incredulitas, Impatientia, Desperatio, Superbia. vid *Deut. 8. v. 19. 20. Psal. 36. v. 2. Ps. 14 v. 4. 5. Psal. 50. v. 16. 17. Esai. 7. v. 10. Prov. 3. v. 11. 12. 1 Sam. 31. v. 4. Luc. 14. v. 11.* IV. Præmia describuntur *Jerem. 17 v. 7. Prov. 8. v. 17. Esai. 46. v. 4. Poenæ Deut. 11. v. 16. 17. Psal. 11. v. 6. 1. Job. 4. v. 18.* Quæstiones ex eo sunt hæ:

1. *An præceptum de sculptilibus sit singulare præceptum?*

Resp. Disting. inter eandem Periodum, & eundem sensum. Fatemur, diversas esse periodos, sed idem est sensus. Omnes enim Dii alieni prohibentur primo præcepto, teste litera. At imagines, quæ